

Franckesche Stiftungen zu Halle

Die XXVI Septembris Hora IX Qvinque Selectae Classis Alumni Postremos In Paedagogio Regio Sermones Habebunt Qvos Vt Benevole Avdiant Patroni Et Amici ...

Freyer, Hieronymus

Halae Magdeburgicae, [1729?]

VD18 13485091

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-197576





129 D:8

[31]
32 *Q. D. B. V.*
DIE XXVI SEPTEMBRIS HORA IX
QUINQUE SELECTAE CLASSIS ALUMNI
P O S T R E M O S
IN PAEDAGOGIO REGIO
S E R M O N E S
HABEBUNT

QVOS VT BENEVOLE AVDIANT
P A T R O N I E T A M I C I
CETERISQVE
EXERCITATIONIBVS NOSTRIS
LVBENTER ADSINT
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
ET HVMANITATE ROGAT
P O S T Q V A M
DE IIS QVI ACTVM IN ACADEMIA
AGVNT

QVAEDAM PRAEFATVS EST
HIERONYMVS FREYER
PAED. REG. INSP.

DEUS QUI ACTUM IN ACADEMIA
PATRONI ET AMICI
SERMONES
NIRONYMS FREYER
PATE REG. INSP.



CTVM AGERE in prouerbio (a) Latinis est; et eos præcipue notat, qui incassum et frustra laborant: vocabulis, vt videtur, a fori ac iudiciorum consuetudine desumptis; qua nec sententiam a iudicibus latam, nec actam semel causam retractare fas putabatur. Sed et in illos vel ipso latinitatis principe (b) auctore quadrat, quos præposteris vti consiliis videmus: siue post deinde facientes, quæ prius facienda erant; siue in agendis rebus ita versantes, vt iterum ac tertium agi necesse sit, quod segniter ante et vix parte dimidia peregerunt. Vtroque sensu et modo vbiuis inter homines errari, hoc est, inanem stolide operam sumi, calamitosa quotidie experientia testatur: nec mirum ita fieri, quum stultorum omnia plena sint; dolendum tamen et communi miseriæ, quantum licet, salutaribus remediis obuiam eundum. Mihi vero res mecum, et cum meis est: hos ore, hos scriptis, et eosdem etiam aliorum propositis exemplis instruo; ceterum aliena aliis, quibus ea curæ esse conuenit, merito relinquens. Tres autem anni sunt, quum programme duplicato primum redarguere (c) eos cœpi, qui *male* aut *nihil*; ac deinde (d) etiam, qui *aliud* in academia agunt: illis tantum in commodioris temporis occasionem reseruatis, quos *actum* agere atque sic haud minus male rebus suis consulere in tam illustri sapientiæ domicilio, vbi circumspecte omnia et prudenter fieri decet, animaduertimus.

Quos autem iustius hoc loco et reliquis omnibus priores nominandos putabo: nisi eos, qui primam optimamque temporis academici partem perdentes ne ingemiscunt quidem; plane securi, quid dies ferat postera et quantum intersit, rerum omnium initia recte aut secus fieri? Multi hanc sponte iacturam et volentes faciunt, quidam etiam diu præmeditati: sed multo plures aliorum exemplo et insidiis inducti tam in se ipsi, quam Deum et patriam, ita iniurii sunt. Nam cur non iniuriam dicemus, primum diei inaniter exacto dies addere, post mensi menses, immo annum etiam anno: atque adeo inter ipsos præclarissima quæque discipulorum pariter ac docentium concursus et strepitus in diem sic viuere, vt non

(X 2

mo.

(a) Plant. Cistell. act. 4. sc. 2. v. 36. Pseud. act. 1. sc. 3. v. 28. Liu. l. 28. c. 40. (b) Cic. de amic. c. 22. (c) Nimirum programme de iactura temporis academici mense Martio anni c15 1500 x xvi publicato. (d) Eiusdem anni mense Septembri.

modo ea, quæ agenda sunt, intermittantur; sed dudum acta quoque pereant et, quod alioquin fieri posse dubitamus, nouo modo facta quasi infecta reddantur. At quid futuros tandem eiusmodi homines putamus? Mea quidem sententia aut, qui sæpius etiam perditarum rerum esse exitus solet, plane desperandum de felici studiorum successu his salutis suæ desertoribus est: aut actum cum dolore agendum, hoc est, ad pristina subsellia quasi redeundum, grammatica (res diu inuisa et ad obsoletas nouæ dicam an corruptæ antiquitatis tabernas dudum relegata) postliminio reducenda in musæum ac tantum non ad elementariam gnauæ contubernalis aut alterius magistrî opem confugiendum. Quam plenus hic molestiarum labor sit, facile intelligent, qui iter longum ac puluerulentum in arena æstuosa facientes et aliquamdiu in auia deductos confectam semel viam cum tædio retortisque sæpius ad erroris vel causam vel initium oculis retro repetere oportuit: at necessarius tamen est, et salutaris, et solus ad restituendam rem prolapsam relictus. Atque in hanc molestiam omnium facillime incidunt: qui festinantes nimium et cruda adhuc studia in academiam propellentes, in luce malunt quam umbra declinare; reliquas autem stili exercitationes, et si quæ sunt alia solidæ eruditionis subsidia, plane transilire. Hi semper et necessario quidem actum agunt: non academiæ minus, quam scholæ tirones perpetui. Nam quod sine fundamento domus, sine manibus corpus, sine oculis caput: hoc est nudus a scholastico litterarum adiumento academicus; utpote aut nihil omnino videns aut nimium, saltem e duobus (e) tria; immo tota interdum via et toto, quod aiunt, cælo errans quam turpissime. Sed multorum hic, non omnium in scholis iuuenum error est. Quidam enim cautiore sunt, gladium academicum non nisi posito rite tirocinio ambientes: sed in hoc non satis prouidi, quod principali suo vnice studio dediti scholastica et ex his latini sermonis exercitium plane negligunt; haud ponderantes, quam facile dediscantur et quasi in fumum abeant, quæ tanto labore ac tam longi temporis impendio comparata sunt. Legendum autem quotidie ac repetendum aliquid ex principe latinitatis Cicerone siue alio quodam auctore classico erat, immo scribendum etiam et ipsa lingua crebro vsu fideliter exercenda: ut, siue stilo rem agi aliquando siue ore oporteat, in vtriusque

(e) Erasim, Rot. chil. 3. cent. 1. n. 6.

usque elocutionis facultate pares simus. Qui secus faciunt, ipsa certe industria sua sibi nocent et tamquam de industria quasi os præcidunt ac manus: sponte post et cito resumpturi laborem, quo dudum se defunctos putabant; quum exactis fere annis academicis intelligere incipiunt, quam necessarius homini erudito et ad munus publicum adspiranti expeditus talium instrumentorum usus sit. Porro actum in academia et illi agunt, sed sua tamen culpa et satis turpiter: qui Doctorum suorum prælectionibus toties fere subducunt se, quam interfunt; atque hac potissimum de causa iterum ac tertium audire necesse habent, quæ alii semel tradita domique fideliter repetita recte atque ita capiunt, ut semestri studiorum itinere confecto ad vteriora progredi feliciter et cum insigni fructu possint. Mirum sane ac sæpe etiam stupendum, quantum hic ad deferenda auditoria vel æstiuis mensibus cæli serenitas, vel hiemalibus recentioris niuis occasio, vel quocumque tandem tempore centum alia impedimenta valeant. Scio me, quod res est, dicere, quum dico: tantam sæpe in academiis nostris insaniam regnare, ut nec legum ciuiliū studio suo iuris sui Corpus, nec medico Hippocrates, nec ipse hebræus Codex theologo tantæ curæ sint, quin ad veteramentarias ire latebras iubeantur atque inter captiuos ibi ac dediticios aliquamdiū numerari, qui libertatis æque ac virtutis auctores esse dominis suis poterant. At (f)

*Facilis descensus auerni,
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis:
Sed reuocare gradum superasque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est;*

opus quidem, at præposterum et inutile, dudumque et iam semel factis factum, et forte plus semel etiam repetendum; labor autem ut sumtuosus, ita parentibus semper quam filiis tristior. Tandem et illos commemorari hoc loco æquum est, qui, triennio suo in academia exacto et tamquam absoluti in patriam reduces, tamen post vnum atque alterum annum ad eandem sapientiæ officinam reuertuntur: non ut, quod multos cum laude facere constat, absolutiore potiantur eruditionis apparatu aut doctoris legitimi honores auctoritate publica impetrent; sed iussi, et tenuitatis suæ, et quam vacuum cerebro caput domum retulerint, nunc ipso usu et periculo conscii.

X 3

A quo-

(f) Virg. Aen. l. 6. v. 126.

A quorum præposteris consiliis haud scio quantum illi etiam theologiae cultores hoc præsertim tempore absint, qui in academiis degentes solius scientiæ rationem habent: ceterum (g) ἄνθρωποι ψυχικοί, πνεῦμα (h) μὴ ἔχοντες, et si non semper manifesto βδελυκτοί, tamen (i) πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἀδόκιμοι. Quid autem agunt hi, ad pristinae institutionis locum tamquam in pistrinum remeare dura necessitate compulsi doctrinaeque et inculpatæ vitæ testimonium nunc demum merituri: nisi actum aut quod agendum iam olim atque ante erat, quam a Patribus academicis in suam quisque patriam dimitterentur. Et satis tamen præclare ageretur, si vel nunc sapere tandem Candidati tales et ad se redire ita possent, ut intelligerent recte, qualem esse eum deceat, qui facem præferre aliis et exemplo monstrare viam salutis ipse voluerit. Dantur omnino, qui providam erga se cælestis Patris benevolentiam in hoc negotio grate agnoscunt. Sed quid de illis iudicandum erit, quibus in stupiditate sua iam adultis ænigmata videntur et numero Platonis obscuriora, quæ de vera mentis emendatione, de veteris ac novæ indolis pugna continua, de quotidiana animi renouatione virtutumque christianarum incrementis non minus coram a Doctoribus suis quam in concione audiunt? qui nescire se musitant, quid præter honestæ vitæ documenta expectetur amplius et an ipsam quoque naturalem ac penitus insitam in animis labem sibi (k) ademptam hic velint: metuentes, credo, ne prorsus exui, quem tanta cura fouent, aut extirpari radicibus veterem Adamum necesse sit? Dignam profecto, sed maiorem lacrimis miseriam! Hoc vere quidem est et cum damno maximo actum in academia agere: et periculum, ne idem etiam in sacro iam munere constitutis cum æterno mille animarum dispendio per omnem vitam agatur; nisi in tempore et ab ipso salutis humanæ auctore CHRISTO discant, quid sit ἀναθεῖν (l) seu denuo nasci atque sic per angustam portam (m) in regnum diuinum intrare. Sed nunc nihil addo amplius:

Scis (n) bene, cui dicam, positis pro nomine signis;

Officium nec te fallit, amice, meum.

Restat, ut eorum quoque mentionem paucis faciam, qui huius mihi commentationis ansam præbuerunt. Atque hoc nomine sistuntur

hic

(g) 1 Cor. 2. v. 14. (h) Iud. epist. v. 19. (i) Tit. 1. v. 16. (k) Man wüßte nicht, was man mehr von einem haben und ob man einem gar die Erbsünde nehmen wolte. (l) Ioan. 3. v. 3 et 5. (m) Matth. 7. v. 13. Luc. 13. v. 24. (n) Quid. trist. l. 1. eleg. 4. v. 7.

hic quinque disciplinæ nostræ alumni ut probi et industrii, ita etiam cum debitæ laudis testimonio in academiam dimittendi: si quidem ante, quod mos et æquitas postulat, post reliqua diligentiae temporisque bene collocati specimina ultimos in Pædagogio Regio sermones eo, quo ad nos venerunt, ordine habuerint. Dicit autem IOANNES CHRISTIANVS Sölle, Stargardia-Pomeranus, *de nimio linguarum studio, eruditionis solidæ impedimento*, latine: post hunc ANDREAS Hanisch, Posna-Polonus, *de euangelio Christi ex calamitatibus gloriosius emergente*, et CAROLVS FRIDERICVS a Jasmund, Eques Meklenburgicus, *de iusta rationis æstimatione*, germanice: ac tandem IOANNES Schanckebanck, Transsiluanus, *de licentia libertatis nomine appellata*, et DIETERICVS HERMANNVS a Schulenburg, Eques Magdeburgicus, *de religione reipublicæ civilis fulcro*, latine. Qui omnes ut in patriæ salutem Optimorumque et partim etiam Illustrium, nec antiquitate generis magis quam eruditionis gloria nobilium Parentum decus et lætitiā eo, quo apud nos bene cœperunt, virtutis tramite porro feliciter progrediantur et adolescant, DEVM immortalem supplex veneror: sed ut eosdem etiam institutorum nostrorum PATRONI et AMICI cras ante meridiem bene uole audiant ceterisque excitandæ iuuentutis exercitationibus utroque examinis publici die lubenter adsint, ea, qua decet, obseruantia et humanitate rogo. P.P. Halæ Magdeburgicæ in Pædagogio
Regio VII Cal. Octobris MDCCCXXIX.

CONSPECTVS EXAMINIS.

DIE XXVI SEPTEMBRIS AB HORA VIII AD XII.

- | | |
|---|---------------|
| 1. Classis theologica III. | 2. Latina V. |
| 3. Philosophica et theologica selecta. | |
| 4. Oratio de nimio linguarum studio. | 4. Latina IV. |
| 5. Oratio de euangelio ex calamitatibus gloriosius emergente. | |
| 6. Oratio de iusta rationis æstimatione. | |
| 7. Latina III. | |
| 8. Oratio de licentia libertatis nomine appellata. | |
| 9. Oratio de religione reipublicæ civilis fulcro. | |
| 10. Latina II inferior. | |

AB HORA II AD VI.

- | | | |
|-----------------------|--------------|--------|
| 1. Theologica II. | 3. Græca II. | |
| 2. Latina I superior. | 4. Latina I. | 5. He- |

5. Hebræa.

6. Geographica II.

7. Oratoria germanica II.

8. Historica.

9. Geometrica.

10. Geographica I.

11. Oratoria germanica I.

12. Arithmetica.

DIE XXVII SEPTEMBRIS AB HORA VIII AD XII.

1. Theologica I.

2. Gallica III.

3. Poetica latina III.

4. Gallica II.

5. Poetica latina II inferior.

6. Gallica I.

7. Poetica latina II superior.

8. Logica. 9. Optica.

10. Poetica latina I.

11. Botanica.

AB HORA II AD VI.

1. Præparatio orthographica, 2. Præparationes arithmetice et
geographica et historica. geometricæ.

3. Præparationes physicæ.

ORATIONES

EX CLASSE SELECTA.

CAROLVS AVGVSTVS CASIMIRVS *Rackelmann*, Merseburgicus, *de otio eruditorum minime otioso*, dicet latine, simul valedicturus.

ERNESTVS GOTTLOB *Philippi*, Dresdensis, *de fuga philantiæ litterarum cultoribus maxime necessaria*, etiam valedicturus latine.

SAMVEL *Gerlach*, Potsdamienfis, *de litteris in oriente renascentibus*, carmine germanico.

EX CLASSE LATINA I.

HENRICVS WILHELMVS ab *Haugwitz*, Eques Silesius, *panegyricum CAROLO VI Imperatori* dicet germanicum.

GRATIARVM ACTIONES AD AUDITORES

BENEVOLOS LATINAE

EX CLASSE LATINA I.


LEOPOLDVS NICOLAVS, L. B. ab *Ende*, Halensis, *de institutione iuuenum publica priuata præferenda.*


THOMAS a *Swan*, Eques Danus, *de librorum delectu.*

IOANNES IOACHIMVS *Gelpcke*, Stolbergensis, *de studiis ingenio attemperandis.*

MATTHIAS ISEBRAND *Jörgena*, Frisius orientalis, *de fructu ex prudenti cum aliis consuetudine capiendo.*

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELI, Acad. Typogr.





129 D:8

1018

